



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Machvmetis Saracenorum principis, eiusque Svccessorvm
Vitae, Doctrina, Ac Ipse Alcoran**

Bibliander, Theodor

[Basileae], März 1550

VD16 VD16 K 2586

Lodouici Viuis Valentini de Mahomete & Alcorano ipsius Censura, è Libris
eius de Veritate Christianæ decerpta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97854](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97854)

DE MAHOMETE, ET ALCORANO

IPSIVS, SIVE SARACENORVM LEGE, LODOVICI
Viii Censura, è libris eius de Veritate fidei
Christianæ excerpta.



Rima ætate Mahometes fuit pauper, & exercuit atrocinita: tum nactus opulentas nuptias, militavit sub Heraclio imperatore, inter populares suos Arabes. In ea militia occasionem principatus ac potentia inuenit. Nam quum Arabes irati Heraclio, discessionem ab eo fecissent, hic se ordinibus iratorum militum admiscuit, eorumq; animos aduersus imperatorem exacuit, & in defectione confirmauit. Tum creatus est à parte quadam militum dux Mahometes, quemadmodum ij solent in omni seditione extolli, qui praua multitudinis consilia comprobant, potentesq; & principes insectantur. Humilitatem generis & uitæ prioris sordes, multi in nouo duce aspernabantur. Ipse ut ab illo se contemptu vindicaret, quod est apud stolidam plebem facillimum atq; efficacissimum, diuinitatem suis actibus prætendit, non iam se ducem & principem ferens, militari fauore electum, sed prophetam & nuncium Dei omnipotentis, ut obtentu diuinitatis omnes haberet dicto audientes. Caput uero negotij erat, Deū misisse primò humano generi Moysen, hinc Christū I E S V M, instructos facultate prodigiorum: homines illis non se præbuisse obsequentes: statuisse Mahometem mittere sine miraculis, armatum, ut quos non mouissent oracula, cogerent arma: se esse postremum nuncium, nec futurum postea alium, prædictum à Christo in Euangelio, prænunciatum luce admirabili, quæ ab Eua per successionem generis in omnes mulieres transferit usq; ad matrem suam, &c. de quibus plura in Alcorano, hoc est lege sua, quam sibi dicit cœlitus traditam, ut communicaret hominibus: in qua est mira eius inconstantia. Alias enim dicit, se gentem habere peculiarem, cui sit missus: & neminem intellecturum suum Alcoranum, nisi sit Arabs, aut sciat Arabicè. Alias dicit, omnibus se gentibus ferre leges. Præterea nec minus securè infinita mendacia in Alcorano confingit. partim ex Thalmut Iudeorum, quæ tamen ipse magis corrumpit, ut de Adam, de Cain & Abel, de prædicatione Noe, de morte Moysi: de Pharaone, qui iussit sibi ædificium usq; ad cœlum extrui, ut uideret deum Moysi: de Solomone, quod haberet exercitum hominum dæmonum & auium, ipsum glorificantium: de Dauide, cui montes & aues obediebant. Iam quæ sunt aperte planis uerbis in ueteri Testamento explicatæ, ipse deprauat, & narrat falsò, ut de Mose, de Pharaone, de Gedeone & Saule & Noe & arca, de Abraham & Lot, de Ioseph. De nouo autem Testamento narrat falsò natalem Domini, & de Ioanne baptista, &c. Nec solum de utroq; Testamento tam licenter mentitur, sed & de historijs gentium. Alexandro ait tributam à Deo scientiam rerum omnium. Quis unquam id tradidit inter tot Latinos scriptores & Græcos, qui illius uitam & res gestas memoriæ mandarunt? Fieri profectò non potest, ut Mahometes legerit utrunq; Testamentum. Nam & si ego de illo pessimè sentio, non tamen arbitror fuisse tam excordem, ut sic apertè mutaret & detorqueret, quæ nihil ipsi oberat integra relinquere. in quibus etiam si fuisset error, non tamen erat is tanti, ut diuina correctione indigeret. Sed de utroq; Testamento partim ipse sancto audiuerat nonnulla, quæ prauè retinuerat: partim Christiani & Iudæi persuaserant sic habere. Itaq; ea scripsit, per quæ manifestò uanitas & imperitia illius se patefaceret, & ueritas esset ad percipiendum non difficilis. Nec ipse quid sit Euangelium, nouerat: quanquam sæpe dicit Christo esse datum librum euangelium à Deo. Nullum librum Deus dedit Christo, nec ipse euangelium scripsit, sed lætissimum nuncium attulit generi humano, reconciliationem fieri hominis cum Deo, & placatam iram Dei, cessare ultionem, reditum ad gratiam patere: quo nullus est nuncius melior. Euangelium enim bona est annuntiatio. Eiusdem notæ est & illud, quod ait Dauidi missum esse psalterij librum, quum ille sigillatim psalmos composuerit, & cecinerit Domino. At quo ore, quanta impudentia,

* 2 dentia,

DE MAHV METANAE SECTAE

dentia, quasi nihil mutasset, Si quid (inquit) dubitatis in his, quaerite ab ijs qui librum legerunt ante nos, quaerite ab ijs qui legem & euangelium legerunt: hoc est, à Iudeis & Christianis. Hunc tu putes uel frontem habuisse, uel cor? Necessè est uel illum nihil legisse, sed quæ accepisset ab alijs, habuisse pro indubitatis, in quo eius tarditas & socordia ostenditur: uel si quid legit & nouit, non proiecta solum & profligata, sed dementiissima est impudentia, eos pro se testes adducere, quorum testimonio sciat se condemnatum iri. Profecto alterum necesse est: uel ipsam beluam fuisse, uel eos quibus loquebatur habuisse pro beluis. Plura de Alcorani & Mahumetis erroribus, nempe quam absurda de Deo, de Christo, de rerum natura, de die extremi iudicij, de beatitudine statuat, itemq; de legibus & uita Sarracenorum plenissimam tractationem reperies in Lodouici Viuis de Veritate fidei Christiana libro 4. qui in hoc ipso confutando totus uersatur. Nos ista duntaxat hoc loco adiecisse, ut disputationis huius saltem admoneremus lectorem, opera precium duximus.

DE MAHV METO, EIVS QVE LEGIBVS,
& Saracenorum rebus, ex Volaterrano.

Saracenorum gente Arabiae felicitis numerosa ac bello potentissima, nulla magis Christianos excruciat: eius Ptolemaeus & Marcellinus in primis meminere. Ii diu regibus Persarum una cum reliqua Arabia seruiuerunt, usq; ad Heraclij principis tempora, annu uidelicet salutis DCXX. Tunc primum Mahumetes ex eis caput extulit, quem (ut refert Bibliothecarius) humili genere natu, defunctis parentibus captiuum, Abdemonaples, Ismaeliticus uir generis, emittit sibi gratum ob formam & ingenium. Quapropter mercimonijs ac negocijs ab eo praeficitur. Frequentabat ea tempestate domum Abdemonaples, Sergius monachus, qui ob sectam haereseos e Constantinopoli in Arabiam fugerat, Mahumetemq; ob ingeniu ualde diligebat. Interim herus sine liberis moritur, uxor uidua & quinquagenaria hunc sibi in uirum capit. Is igitur cum saepe in alienationem mentis se uenire ostentaret, & tanquam qui morbum patiatur comitalem, corpore prosterneretur, admirante uxore: Desine, inquit, mirari, hoc mihi ex ipsius Dei spiritu me corripiente prouenit, qui mihi futura suggerit. Seq; plane prophetam dictabat, atq; haec omnia iuuante & consulente Sergio agebat. Paulatinq; uulgata fama, nec multo post haeres ab uxore moriete institutus, opibusq; adauctus, simulq; autoritate, inter suos legem condere cepit: nouamq; propterea sectam edidit, ab Hebraeis nonnulla mutuando, partim etiam a Christianis. Circumcisionem & abstinentiam porcinae simul & iuni praecipit: ieiunium mensum continuum seruare, tantumq; noctibus uesci, diurnam abstinentiam longa crapula compensando. Veneris diem colunt, quod in hac ille rex factus: uel (ut quida aut) ut Hebraeis Christianisq; dissentiant: eademq; de causa ad meridiem conuersi Deo supplicant. Uxo res, quot pro facultatibus licet, fas ducunt habere: quaru zelotypi solent esse, adulteras capite plectendo: nullam faeminam nisi operata facie foras prodire, mancipijs pro libidine uti, uoluptates corporis futurae felicitati minime officere. Tris tantum prophetas admittunt, quos Raçales uocant, Mahumetem, Mosem, & Christum, quem minime deum alioquin esse putant: & angelos, ueterem etiam legem recipiunt. Haec reliquaq; praepcepta in uolumine conscripsit, quod Alcoranu appellant, atq; in latinum sermonem conuertit Ioannes Hispanus in concilio Constantiensi, Martini V. tempore, idq; Christianis argumentationibus publice refellit. Contra hoc iter Ricardus ordinis Praedicatorumq; Theologus librum condidit: quem Demetrius Cydonius in Graeco sermonem conuertit. Hac igitur superstitione armatus Mahumetes, obtemperantes Saracenorum animos ad rebellandum contra Persas excitauit. Vixit annos XL. Moriens praedixit se ituru in caelu: quod diu expectates, tandem tetro coacti odore, sepulchro nudaerunt apud Mechā ciuitatem, quae aditur ab eis ut a nostris Hierosolyma. Post eius mortē plures e successione principes eius gentis, partito inter se exercitu alibi alij regnauerunt, uarijs etia nominibus appellati, Calyphe, Amorraei, Admirati, Miramemelini, Sultani, quae est apud eos summa potestas. Homar igitur a Mahumete tertius, post Persas subiugatos, Hierosolyma omnēq; Syria cepit, anno circiter DCLXX. sedente Agathone et Constantino IIII imperatore. deinde Aegyptu inuasere, constituto apud eā Calyphe. Res itaq; incolumis Saracenorum usq; ad Mauguet Persidis principem durauit. Hic cum Himbraelem Babyloniae regē ex eadem

secta